BONAE MENTIS

# LECTORI

*GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS*

S. P. D.

NIll minus hoc tempore in animo habebam, quam his, quos uno fasce hic comprehensos uides, Scriptoribus edendis operae aliquid, studiiue impendere. Vt tamen impenderem, spectatissimi, dum uiuebat, Bibliopolae, IOANNIS MAXIMILIANI a SANDE, fecit Vidua. Cum enim mihi, nundinis anni superioris auctumnalibus, multis exposuisset, quantas maritus, ante hos septem annos, impensas in HVTTICHII *Antiquitates* suasu meo aeri incidendas fecisset, quantas itidem in HERAEI *numos* e gazophylacio Caesareo depromptos similiter aere describendos; quas frustra factas ipsa nollet; hoc praecipue rerum suarum, in quem nuperrimo incendio ueniisset, statu; simulque maximo rogasset opere, ut promissi quondam publice facti memor, Scriptoribus hisce recensendis, ac in lucem reuocandis manum admouerem, ad eos recognoscendos & in publicum proferendos tandem adduci me passus sum.

Habes igitur hic,

I GEORGII HELWICHII *Antiquitates coenobii* quam maxime olim celebris *Laurishamensis*, una cum tabularum aliquot ueterum appendice, recens adiecta.

II IOANNIS MAVRICII GVDENI *Historiam ciuitatis Erfurtensis*, libris IV comprehensam, una cum aspersis aliorum animaduersionibus censoriis.

III IOANNIS ANDREAE SCHMIDII, Abbatis Mariaeuallensis, & Theologi in academia Iulia primarii, *de Conciliis Moguntinis Dissertationem*, & adnotationibus illustratam, & Concilio non uno auctiorem.

IV IOANNIS HVTTICHII *Collectanea antiquitatum in urbe atque agro Moguntino repertarum;* una cum tribus additamentis; quorum quidem *primum* de *mole illa glandiformi* e W. E. TENZELII *Dialogis menſtruis* agit; *alterum* uero de *pyramide* illa in agro Moguntino, DRVSI in honorem, ut uolunt, olim *poſita; tertium* denique *inſcriptiones* aliquot *alias* tam in urbe, quam agro Moguntino inuentas complectitur.

V *Monumenta ſepulcralia, ſuperioribus annis Moguntiae eruta,* una cum ſcholiis CAROLI GVSTAVI HERAEI.

VI WILHELMI ERNESTI TENZELII *Moguntinenſium quorundam moduli maioris, aliorumque cum ueterum tum recentiorum numorum breuem deſignationem,* in ſermonem latinum a me conuerſam.

VII NICOLAI SEELAENDERI *Bracteatorum Moguntinenſium Syllogen,* itidem e ſermone uernaculo in latinum a me translatam.

VIII Laudati HERAEI *Seriem Archiepiſcoporum Moguntinenſium monimentis Caeſarianorum numiſmatum poſteris ſeruatam,* in tabulas a me redactam.

IX THEODORICI GRESEMVNDI iunioris *Hiſtoriam & Carmen de uiolata iuxta Moguntiam ab impio quodam nebulone,* Schelkropf, *Seruatoris de cruce pendentis imagine.*

X IOANNIS ARNOLDI BERGELLANI *de Chalcographiae inuentione poema encomiaſticum.*

XI *S. Sedis Moguntinae, Capitulique metropolitani faciem, ut ſe ſub anni MDLXVIII initium habuit,* ex AEGIDII PERIANDRI libello, *Nobilitas Moguntinae Dioeceſis, Metropolitanaeque eccleſiae* inſcripto.

XII *De Patriciorum ueterum Moguntinenſium familiis, diſcrimine, iuribus, contentionibus, ac fatis Commentariolum,* e duobus libellis manu exaratis, nondumque editis, ſuperioribus annis a me confectum, & breuibus quibusdam adnotatiunculis nunc illuſtratum.

Quid

Quid autem in iis recenſendis curae mihi fuerit, & praeſtitum a me ſit, non eſt, quod multis hic exponam. Expoſui enim iam, dum unicuique illorum, more recepto, praefatus ſum.

Nil itaque ſupereſt, quam ut primum *tabellam* quandam *inſcriptionum*, quas HVTTICHIVS collegit, hic ſubiiciam. Deprehendi namque, dum haec ſcribo, in editione illarum, quae an. MDXX praefert (quamuis eo mihi neutiquam excuſa uideatur) alium, quam in hac noua, obſeruatum eſſe ordinem. Quod ipſum ne cui negotium faceſſat, uel impedimento ſit, merito praecauendum duxi.

En! illam.

| *Edit.* an. MDXX. | *Edit.* an. MDCCXXVII. | *Edit.* an. MDXX. | *Edit.* an. MDCCXXVII. |
|---|---|---|---|
| I | *XIII* | XX | *XIX* |
| II | *I* | XXI | *XX* |
| III | *II* | XXII | *XXI* |
| IV | *V* | XXIII | *XXII* |
| V | *IV* | XXIV | *XXIII* |
| VI | *III* | XXV | *XXIV* |
| VII | *VI* | XXVI | *XXV* |
| VIII | *VII* | XXVII | *XXVI* |
| IX | *VIII* | XXVIII | *XXVII* |
| X | *IX* | XXIX | *XXVIII* |
| XI | *X* | XXX | *XXIX* |
| XII | *XI* | XXXI | *XXX* |
| XIII | *XII* | XXXII | *XXXI* |
| XIV | *XIV* | XXXIII | *XXXII* |
| XV | *XV* | XXXIV | *XXXIII* |
| XVI | *XVI* | XXXV | *XXXIV* |
| XVII | *XVII* | XXXVI | *XXXV* |
| XVIII | *XVIII* | XXXVII | *XXXVI* |
| XIX | *XXXIX* | XXXVIII | *XXXVII* |
| | XXXIX | *XXXVIII* | |

Dein eſt, quod petam, mihi culpam ne tribuas, ſi qua tibi hic illic occurrent σφάλματα. Ne enim operarum uel feſtinatione uel negligentia atque incuria nonnunquam peccatum ſit, non ſine cauſſa uereor; quandoquidem mihi plagulas hic locorum inſpicienti nonnulla ſe, quod aegre admodum fero, iam obtulerunt. E quibus non poſſum, quin duo hic emendem; quorum qui-

dem unum p. 317 in v. 7 irrepsit; pro, *quis,* enim legendum, *aliquis;* alterum p. 453 in v. 27; delendum enim ibi est nomen, *Itelius,* & reponendum in v. 29, h. m. Item *Itelius Bervvolf* notus cet. Tum uero, ne suspiceris, p. 414 in carmine *Gresemundi* tres uersus omissos esse, scias uelim, numeros librarii culpa corruptos esse, & n. 340 v. 58 apponi debuisse.

Ceterum in spem uenio, operam hanc meam aequis rerum aestimatoribus non prorsus improbatum iri. Sic enim, cum doctissimo *Perizonio,* semper existimaui, consultius esse litteris & studiis omnibus, quae iam copia potius & multitudine librorum, quam inopia laborant, si bene a prioribus edolata iterum incudi reddantur, & adsperſis hinc inde animaduersionibus expolianantur, quam si noua eiusdem argumenti opera identidem in publicum protrudantur, quae plerumque, quicquid habent affabre factum aut dictum, alienae seu priorum debent dolabrae; sed quorum hac ratione memoriam prorsus, contra quam oportebat, intercipiunt.

His uale, mihique, si mereor, faue. Scribebam *Traiecti ad Moenum* in nundinis a. d. XIII Kalend. Maii, anno aerae Dionysianae MDCCXXVII.

***

Dum

* * *

DVm in eo eram, ut in officinam typographicam, quae hic praefatus sum, mitterem, duo mihi exinopinato adferebantur supplementa. A praestantissimo SEELAENDERO quidem *aliquot solidorum & trium bracteatorum*, quod haec inter, fecit, *Spicilegium*, una cum breui illorum exegesi, uernaculo sermone consignata; ab Amplissimo uero, mihique fauentissimo Viro atque Fautore, LVDOVICO *de* CHANXE, Eminentissimi Principis Electoris Moguntini a consiliis aulicis, *numorum memorialium*, Archipraesulis modo non sine summa obseruantia dicti auspiciis cusorum, mihique nondum uisorum, Πέντας.

Quibus ne careas, utrumque, cum quicquid illorum est, publico usui destinatum esse norim, hic placet subiungere.

# I

Illud quidem sic se habet.



Solidorum horum

I

in antica Caroli M. *monogramma* refert, cum his in margine uerbis; CARLVS REX FR; in postica uero nomen MOGONTIA circumcirca adscriptum.

II

in pagina prima nobis exhibet nomen CAROLVS; in secunda uero crucis signum in medio; circum quod scriptum, MOCONTIA.

III

in prima parte nobis itidem crucis ob oculos sistit signum, quatuor globulis siue punctis distinctum, hac scriptura circumposita: HLVDOVICVS REX; in secunda uero nomen *Moguntiae*, h. m. MOGONCIA *Episcopalis* CIVIT*as*.

IV

Altera in facie signatus cruce est, his uerbis circumscriptis: OTTO IM*perator* AV*gustus*; in altera uero his in margine uerbis; MOCONTIA CIVITAS.

V

In aduersa eiusdem Imperatoris nobis repraesentat nomen, duplici *O* distincte, duplici *T* uero signo crucis expressis. In auersa, superiori quidem in parte, litteram *S*, cum lineola transuerse ducta; in inferiori uero MOCON*tia*. Quorum illud nonnulli interpretantur, *Signatum* MOCON*tiae*. Sedenim, cum numi Colonienses eadem notati, inscriptique littera reperiantur, & quidam his expresse signati sint uerbis: SANCTA COLONIA, posset eadem ratione hic legi, *Sancta* MOCON*tia*.

*Scias autem, quinque hosce numos Erfordiae reperiri in numophylacio amplissimi Consiliarii, supremique Senatus Praesidis*, BOCKHLET.

VI

VI

Quod ad hunc, sciendum, quod *Tilemannus Frisius* eum dederit in *Speculo monetali*, atque *(a)* arbitratus sit, cum in prima pagina Archiepiscopus globum imperialem sinistra teneat, numum hunc esse *Wilhelmi* Archiepiscopi, *Othonis I* filii; quem proin cum corona in capite expinxit; *(b)* tum uero censuerit, cum in secunda conspiciatur structura, cum rota Moguntina, in margine legendum esse, MOGVNTIA. Sed perperam, ut sequens numus manifestum faciet.

VII

Is in antica Archiepiscopum nobis repraesentat, sedili capitibus caninis in extremitatibus ornato insidentem, cum pedo in dextra, & globo imperiali in sinistra, his circumcirca scriptis verbis; SI*fridus* MO*guntinus Archi*-EPISC*opus*; in postica uero similiter structuram quandam, cum rota Moguntina, & hac ἐπιγραφῇ: GESMARIA CIVITAS.

*Vbi notandum, numum hunc prope Geismariam in Hassia erutum fuisse, & ab illustri Satrapa de MANSBERG adseruari.*

VIII

In prima parte similiter Archiepiscopi exhibet imaginem, cum lituo in dextra, & globo imperiali, fascia transuerse ducta signato, in sinistra; sed margine tam circumciso, ut litterarum olim circumscriptarum ne ulla quidem amplius rite nosci, legique possit. In secunda uero non minus, quam praecedens VII, structuram cum rota Moguntina nobis obiicit, hac adiecta (ut ex litteris, quae legi adhuc possunt) colligere licet, inscriptione: *ges*MARIA CIVI*tas.*

IX

Facie quidem priori nobis ostendit Archiepiscopum sellae, capitibus caninis ornatae, insidentem, manuque dextra librum, sinistra uero lituum tenentem, his circum-

cum marginem ſcriptis uerbis : HENRIC*us* ARC*hi*-EP*iſ*C*opus*. Poſteriori uero rotam Moguntinam in parte ſtructurae cuiusdam turritae inferiori ; cui a dextro latere uexillum, a ſiniſtro ſalutiferae perpeſſionis ſignum appoſitum eſt.

*Vix dubium mihi uidetur, quin numus hic* Henrico III *e* Comitibus Virneburgiis *oriundo, attribuendus ueniat, uti & ſequens bracteatus n. X, quem delineatum mihi transmiſit plurimum reuerendus* M. OLEARIVS, *Synedrii eccleſiaſtici, quod Arnſtadii eſt, Aſſeſſor.*

## X, XI, XII

Numi libertatis Erfurtenſes ſunt, *Frey-pfennige* uulgo. Quorum *prior* nobis leonem Thuringicum, rotam Moguntinam tenentem, ſiſtit, cum hac ſcriptura in margine: HEINE*ricus*.

*Secundus* duos intra lituos, in decuſſes obliquos, nobis ſuperiori in parte rotam repraeſentat *Moguntinam*, cum octo; in inferiori uero, *Erfurtenſem*, cum ſex radiis; in margine inſuper, MARTINI.

*Tertius* nobis duos baculos epiſcopales conſpiciendos praebet, cum eadem uoce, MARTINI ſcilicet, circumſcripta.

# II

## Numorum memorialium

auſpiciis

Eminentiſſimi Principis Electoris hodierni

cuſorum

## ΠΕΝΤΑC.

Subsisterem hic, nisi aliud adhuc supereſſet numisma, *Eminentiſſimi Principis* honori cusum, minime quidem praetereundum.

Est autem id maioris moduli, signatum, quum anno MDCCVI, IV Non. Octobr. primus & quinquagesimus illius natalis fauſtis sideribus illuxisset.

Et quidem antica, illius habitu, qui Principum Electorum proprius est, amicti exhibet imaginem, pectore tenus expressam, hoc circumscripto titulo: LOTHAR*ius* FRANCi*scus* Dei Gratia ARchiEPi*scopus* MOGuntinus Sacri Romani Imperii Per Germaniam ArchiCancellarius PRinceps ELector EPi*scopus* BAMBergensis, & subiecto infra tum anno aetatis, h. m. AN. AET. LI. MDCCVI. tum memorabili hoc hexametro: HIS BENE DE PATRIA NVNQVAM CESSABO MERERI. Postica uero intuentibus obiicit mensam, tapete exornatam, cuius in parte anteriori rota Moguntina, sex radiorum, cum superimposito pileo Electorali spectatur; in ipsa uero mensa ad dextrum latus corona imperialis, ad sinistrum corona celsissimae familiae *a Schoenborn*, e qua *Eminentiſſimus* hic *Princeps* sanguinem & genus ducit; pone istas hinc mitra Archiepiscopalis, illinc tiara Episcopalis, ense euaginato & lituo adiectis; crucibus itidem duabus, Archiepiscopali altera, altera Episcopali. Tum uero, uti ornatum hunc omnem, una cum uelamento, quo mensa instrata, duo eximiae magnitudinis sustinent leones; quorum qui a dextris occurrit, nigri coloris, cum baltheo diagonali argenteo, Bambergensis Episcopatus tessera est: qui a sinistris, coronatus ac tribus cuspidibus argenteis insistens, inclitae *familiae Schönbornensis* notam gentilitiam repraesentat. Inde, his more quasi hieroglyphico apte compositis insignibus, superne in nubibus corona conspicitur imperialis, paullo infra uero aquila Caesarea, aureo ornata uellere, dextraque sceptrum, pomumque imperiale sinistra gerens, lemmate duplici apposito; uno super aquilam, altero infra ad pedem mensae; quorum quidem *illud* sic se habet: FIRMATA HOC ROBORE DVRANT; *hoc* uero; MVNERA DANTE DEO. Circum exteriorem denique, quod notes, marginem, numisma hoc legendum nobis praebet notabilem maxime, scitumque hunc hexametrum:

QVAM BENE CONVENIVNT ET IN VNA SEDE MORANTVR.

Aeri, ut id addam, inciſum habetur, in Numismatibus historicis anni MDCCVI p. 608.